



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Antonini Diana Panormitani, Cler. Reg. & S. Officij  
in Regno Sicil. Consultoris, Practicæ Resolutiones  
Lectissimorum Casuum**

**Diana, Antonino**

**Antverpiæ, 1645**

D

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41753**

sciunt; quia illud damnum famæ cedit bono spiritali correpti. Granad. Ordo verò in eâ præscriptus *Matth 18* obligat sub peccato, nisi vel publicum sit peccatum, vel secretò impediri non possit. Suar. & alij 10. quamvis contra sentiat Hurtad *p. 5. tr. 13. res. 41. & 42.*

4 Peccata fornicationis in Religione sunt contra bonum publicum, atque adeò Superiori denuntianda: præmissâ tamen correctione fraternâ, nisi quis cesserit iure suo. Mirand. & alij 2. *p. 3. tract. 2. res. 69.*

D

## DEBITVM.

1. Quamvis certus de debito, & dubius de solutione, teneatur solvere; quando tamen & debitor & creditor dubitant, probabile est, non nisi partem iuxta qualitatem dubij solvendam. Layman *p. 4. tr. 3. res. 32.*

2. Quando quis multa contraxit debita apud eundem creditorem, potest eligere, vtri malit prius satisfacere; unde si aliquid soluat, id censetur solvere pro

pro debito quod magis grauat. Molin.  
& alij 8. p. 2. tr. 16. ref. 49.

3 Vt creditor uti possit compensatio-  
ne, requiritur 1. ut debitum sit certum,  
ita ut debitor teneatur in conscientia  
soluere. 2. ut non plus capiat quam sibi  
debetur. 3. ut debitum sit statim, & illo  
tempore restituendum: nisi fortè iam  
posset, & postea non esset spes recupe-  
randi præfixo tempore. Neque opus est  
recurere ad iudicem, modò compen-  
satio fiat occultè, & sine scandalo.

Malder. & alij 2. *ibid.* ref. 46. Imò com-  
pensatio illa fieri potest etiam in depo-  
sito, quando non est alia via suam re-  
cuperandi (Lessius & alij 9.) Vel etiam si  
sint alij creditores anteriores: neque  
enim tenetur quis rem suam amittere,  
cùm illam recuperare possit, & per cõ-  
sequens tales non ligantur monitorio  
sub pœnâ excomm. imperante restitu-  
tionem. Comitoli. & alij 4. p. 3. tr. 5. re. 10.  
& in *Addit.* 3. p. ref. 1. & p. 5. tr. 13. ref. 79.

4 Debita etiam contracta ad alendâ  
familiam, non tenentur soluere neque  
filij ex maioratu antè instituto, aut ex  
bonis vinculatis, (Sanch. & alij 3.) ne-  
que vxor ex suâ dote. Sanch. & Molin.  
etsi alij cõtra sentiant. p. 6. tr. 7. ref. 20.

5 Debitor in extremâ necessitate non tenetur soluere creditori, licet sit in simili necessitate: quia cùm omnia tunc sint cõmunia quoad vsum, melior est conditio possidentis. Vasquez & alij 7. Aliud esset si quis ad similem necessitatem redacto rem abstulisset. (Azor. & Lorea) quia tunc esset violentus, & nõ legitimus possessor. p. 5. tr. 8. ref. 11.

6 Debitor in extremâ necessitate debet potius subuenire patri, matri, uxori, filiis, imò & fratri, quàm creditori soluere. Less. & alij 4. *ibid.* ref. 12.

7 Qui dat alteri 100. nesciens se tantum ipsi ex iustitiâ debere, satisfacit tamen debito; quia semper est implicita intentio satisfaciendi obligationi, si quæ sit. Baldel. p. 5. tr. 13. ref. 94.

8 Qui emit domum, vel fundum ad plura debita hypothecatum, non tenetur in conscientiâ illa debita soluere, vt docet Valer. cùm enim principalis debitor (vt supponitur) non sit soluendo, ideoq; coram Deo maneat solutus omni obligatione, multò magis emptor rei hypothecatæ, quia accessorium sequitur naturam sui principalis. Quæ opinio an sit probabilis, aliorum iudicio remitto. p. 2. tr. 16. ref. 40.

9 Debitor qui est in morâ tenetur ad restitutionem damni, vel lucri cessantis, etsi nullum tale pactum in contractu sit appositum. Molin. Imò post plures annos debet solvere interesse ipsius interesse. Filliuc. & alij. p. 5. tr. 13. resol. 78.

*Debitum coniugale.*

1 PRimo bimestri etsi coniux non cogitet religionem ingredi, potest non reddere debitum. Sanchez & alij 2. p. 4. tr. 4. res. 133.

2 Pactum inter coniuges se continentendi, ne proles multiplicetur, secluso incontinentiæ periculo, est validum. Imò & ob illam causam debitum negare, ne ob multiplicationem prolis ad inopiam redigantur, vel nulla est culpa (Sanchez & Ledesm.) vel saltem non est mortalis. Sotus & Sà. part. 3. tract. 4. res. 213.

3 Negare debitum non est mortale, quoties alter non exegit absolute, nisi præ verecundiâ non auderet absolute exigere. Neque si raro negetur: ut si vir quater soleat petere in mense, & quinta vice negetur: neque si nimis crebro petatur. Ochagan. & alij. p. 5. tr. 14. re. 36.

4 Propter graue periculum morbi corpori potest coniux negare debitum, etsi in altero esset periculum incontinentiæ. Non tamen id licet propter ordinarios dolores qui sentiuntur in partu. Præpos. & alij 2. Item non tenetur reddere furioso, vel amenti, vel ebrio. Sitamen inde oriretur periculum incontinentiæ tempore sanæ mentis, teneri reddere docet Sanch. sed hoc durum videtur, & saltem solum teneretur ex caritate. Fagund. p. 6. tr. 7. res. 64. Imò si propter periculum morbi se retrahant in actu coniugali, non peccant, etsi propter naturæ incitationem putetur secutura pollutio. Præpos. *ibid.* tr. 6. res. 37.

5 In negatione debiti ceteri potest materia parua, si cum sapissimè conceditur, semel aut iterùm negetur, aut differatur ad modicum tempus, ut si quis die neget redditurus nocte. Cornejo. p. 5. tr. 5. res. 14.

6 Coniux conscius nullitatis matrimonij ob impedimentum dirimens, nullo euentu potest reddere debitum ante obtentam dispensationem, licet periculum vitæ subiret: & frustra in aliquo casu id (Molfes. & alij 4.) conatur

ex-

excusare, vel posset in aliquo casu fornicatio esse licita. Sanchez & alij 7. p. 4. tr. 4. ref. 48.

7 Superueniente dubio de valore matrimonij post adhibitam diligentiam, potest coniux dubitans non tantum reddere, sed etiam petere debitum. Suar. & alij 8 Quod si cum tali dubio cōtraxisset, non posset petere; posset tamen reddere, si altera pars contraxerat bonâ fide. Sanchez & alij 2. *ibid. tra. 3. ref. 15.* Nec tollitur hæc bona fides per alterius affirmationem: quia non tenetur coniux regulariter credere alteri asserenti, etiam sub iuramento, se non consensisse, aut aliud subesse impedimentum dirimens p. 3 tr. 4. ref. 295.

8 Qui post bimestre necdum consummauit matrimonium, & dubitat de eius valore, potest reddere debitum, nec tenetur propterea religionem ingredi. Vasq. & Salas p. 4. tr. 3. ref. 41.

9 Possunt coniuges etiam sine peccato veniali cœptam copulam de mutuo consensu abrumpere, ne seminatio noceat valetudini, aut ne proles generetur, ob nimiam paupertatem, modò absit periculum pollutionis. Sanchez & Layman p. 3. tr. 4. ref. 227.

10 Si femina, postquam maritus semine intra vas emisso membrū extraxit, libidine incitata, tactibus se provocat ad seminandum, non peccat mortaliter; quia est perfectio actus coniugalis. Sanchez & alij *p. 2. tr. 17. ref. 38.*

11 Qui rem habet cum muliere in tertio, aut quarto gradu coniunctā cum vxore, & sibi affini in eodem gradu, nō impeditur à petitione debiti: quia nullum ius Ecclesiasticum hoc statuit. Nauarr. & Pontius. *p. 3. tr. 5. ref. 19.*

12 Circumstantia modi in copulā coniugali, non est in confessione aperienda; est enim interdum sine culpā veniali, ob iustam aliquam causam. Vxor verò tenetur reddere debitum, etiam si vir cum culpā veniali voluptatis causā postulet variationem situs. Sanchez, licet aliqui probabiliter contrarium teneant. Henric. *p. 1. tr. 7. ref. 35.*

13 Non est peccatum mortale si per extraordinarium coëundi modum, aliqua pars feminis elabatur, dummodò retineatur alia, aut si non ita certū sit, fore vt eo modo proles suscipiatur. Si autem vir post copulam semen extra vas effundat, peccat mortaliter; at si vxor non consentiat, non peccat reddendo,

dend  
Pont  
tract

14

tur

San

viro

ceda

ita

nati

15

tis

neq

tias

etia

pet

le. S

sen

cen

niu

foe

si

hu

in

p. 5

16

va

it

p.

dendo, aut etiam petendo debitum.

Pontius. *part. 2. tract. 15. ref. 64. & part. 6. tract. 7. ref. 7.*

14 Vir postquam seminavit nō tene-  
tur expectare seminationem fœminæ.

Sanch. Vnde fœmina non peccabit si  
viro vsu quidem vasis naturalis cō-  
cedat, sed animum ad alia conuertat,  
ita vt natura non concitetur ad semi-  
nationem. *Præpos. p. 5. tr. 14. ref. 37.*

15 Coniuges vtentes copulâ volupta-  
tis causâ, ne venialiter quidem peccât;  
neque si ob pulchritudinem, aut diui-  
tias contrahant. Pontius & alij. imò  
etiam die sumptæ Eucharistiæ debitum  
petere causâ voluptatis, non est venia-  
le. Sanch. & alij 5. Fiunt vna caro per  
seminum commixtionem: vnde non  
censetur consummatum matrimo-  
nium, nec affinitas contracta, nisi etiam  
fœmina seminarit. Sanch. & alij 9. quod  
si non factum esse constaret, posset ad-  
huc religionē ingredi. *p. 3. tr. 4. ref. 216.*  
*in addit. 3. p. ref. 21. & p. 4. tr. 2. ref. 43. &*  
*p. 5. tr. 13. ref. 54. & p. 6. tr. 6. ref. 14.*

16 Vsu matrimonij est licitus tuendæ  
valetudinis causâ, licet suppetant alia  
media ad eum finem. Coninc & alij 3.  
*p. 3. tract. 4. ref. 238.* Item vitandæ for-  
nica

156 *Debitum coniugale.*

nicationis gratiâ, quia matrimonium post lapsum hominis, ordinatum etiam in remedium concupiscentiæ. Coninc & alij 6.p.3.tr.4.ref.119.

19 Copula inter coniuges habita in loco sacro, in quo sunt conclusi, si longo tempore, id est quatuor, aut quinque dies ibi detineantur, non est circumstantia necessariò in confessione aperienda. Suar. & Ledesm. Imò probabile est esse dicendum, etsi non sint conclusi, modò occultè fiat (Vasq. & Pontius) sed contrarium est probabilius. Tanner.p.1.tr.7.ref.19. Habita autem copula in Oratorio priuato, ad fores Ecclesiæ à parte externâ, vel in Monasterio, vel Sacristiâ, non est circumstantia mutans speciem. Sanchez & Fagund. *ibid.ref.20.*

*Decima.*

**P**Otest quis contra solutionem decimarum præscribere tempore 40 annorum cum titulo, vel sine titulo tempore immemoriali. Molin. & alij 8.p.5.tr.14.ref.42.

*Defuncti.*

**O**Rationes pro defunctis profunt his etsi recitentur in peccato mortali.

mortali, etiam à priuatim orante, & nō  
vt ministro Ecclesiæ. Nauar. & Couarr.  
quamuis contrarium probabile sit. p. 5.  
tr. 14. ref. 79.

2 Consuetudo vt Missa, & Officium  
defunctorum dicantur pro uiuentibus  
nullo modo probanda est sed tollenda.  
Layman & alij 3. *ibid.* tr. 13. ref. 2.

*Denuntiatio facienda ex edicto*

*DD. Inquisitorum.*

1 IN casibus pertinentibus ad Inquisi-  
tionem denuntiatio est facienda, et-  
iam si delator crimē probare non possit  
(Suarez & alij 19.) nec vlla præcesserit  
correctio fraterna (Suarez & alij 12.)  
Imò etsi reus esset iam emēdatus (Sua-  
rez & alij 7.) quia hæc denuntiatio est  
iudicialis, quæ refertur ad punitionem.  
Multi tamen in his omnibus contra  
sentiunt. p. 1. tr. 4. ref. 1. 2. & 3.

2 In crimine hæresis filius tenetur de-  
nuntiare patrem (Suarez & alij 8.) vxor  
maritum, frater fratrem. (Sanctarell.)  
In aliis criminibus non item: quia ad  
solum crimen hæresis denuntiandum  
ius obligat cognatos, qui censentur vt  
na eademq; persona. Homobon. *ibid.*  
ref. 4. 5. & 6.

3 Ne.

3 Nemo tenetur seipsum denunciare (Suarez & alij 15.) ac proinde nec complices; sic enim seipsum proderet. Suarez & alij 4. *ibid. ref. 8 & 9.*

4 Non excusat ab hac denuntiatione hæresis, damnum amici, imò nec proprium, nisi esset tantum, ut statum mutare cogeret. Freitas *p. 4. tr. 5. ref. 36.*

5 Quando edictum denuntiationis fundatur in præsumptione, an qui ceterò scit præsumptionem in aliquo cessare, teneatur nihilominus denunciare; alij aiunt; Freitas. alij negant; Valerius & Riccius. *p. 1. tr. 4. ref. 10.*

### Depositum.

1 Depositarius rerum usu consumptibilem, v. g. frumenti, vini, &c. eas alienando, vel consumendo non peccat saltem graviter, modò certum se tantundem eiusdem generis, ac bonitatis pretio habiturum, cum dominus repetierit, quia talis alienatio in nullo cedit damnum. *p. 4. tr. 4. ref. 68.*

2 Depositarius, quando perit penes ipsum res deposita, non tenetur in conscientiam, nisi ex culpa gravi, & lata; non autem ex levi, & leuissimam, nisi aliter

inter contrahentes sit conuentū. Lessius  
& Filliuc. *p. 1. tr. 8. ref. 74.*

3 Theſaurarius vel procurator Principis, poteſt in cicio dominiſ cum illius pecuniis negotiari in ſuum commodum. Leſſ. & alij 6. *ibid. ref. 32.*

4 Quando depositarius vel commo-  
datarius dubitat, an res ſuâ culpa pe-  
rierit, non tenetur reſtituere: quia in  
dubio non præſumitur delictum. San-  
chez & alij 6. *p. 4. tr. 3. ref. 30.*

*Detraçtio.*

1 **Q**ui peccatum alienum notorium  
facti, vel iuris detegit in alio loco  
vbi ignoratur: imò quò non niſi poſt  
longum tempus, vel etiam numquam  
eius fama eſt peruentura, non peccat  
neque contra iuſtitiam, neque contra  
caritatē. Fagund. & alij 6. *p. 3. tr. 5. ref. 17.*

2 Auditum crimen alicuius ſimpliciter  
ſine noua aſſeueratione, vel confirma-  
tione narrare, etiam ſi quis animaduer-  
tat aliquos ex audientibus temere cre-  
dituros, probabile eſt, non eſſe pecca-  
tum mortale. Caietan. & alij 8. Contra-  
rum tamen eſt probabilius, & tenen-  
dum. Malder. & alij 10. *ibid. ref. 28.*

3 Qui narrat amico iniuriam ſibi ab  
ali-

aliquo secretò illatam, non animo detrahendi, sed doloris sui leuandi gratiâ, non peccat mortaliter: durum enim est acceptas iniurias silentio premere, & concoquere. Lessius & alij 6. *ibid. ref. 33.*

4 Qui occultum crimen alienum sine graui causâ manifestat vni aut alteri viro prudenti, quem scit non eulogaturum, non peccat mortaliter: quia non est notabilis læsio famæ. ita probabiliter Caietan. & alij 8. Contrarium tamen docet Suarez & alij 16. *ibid. ref. 33. & p. 6. tr. 7. ref. 9.*

5 Qui per detractionem dicit alium esse spurium, vel filium Iudæi, &c. non peccat mortaliter ex paruitate materiae, nisi fortè alter ideò putaretur valde contemnendus in animo eorum quibus dicitur. Nauarra. *p. 5. tr. 5. ref. 69.*

6 Qui falsum dicendo alterum infamauit, tenetur (si commodius fama restitui non possit) fateri falsitatem, ac si opus sit, iuramento retractationem confirmare. Tanner. & alij 11. Quidam tamen contrà sentiunt. Faber. *p. 3. tr. 5. ref. 29.* At qui verum alterius crimen propalauit, ad nihil aliud tenetur, quàm laudare eum, quem prius diffamauerat. Lessius & alij 7. si autem non possit fa-

mam

mam restituere, non tenetur pecuniã  
 compensare. Malder. & alij 9. Quia ta-  
 men etiam probabile est læsionem fa-  
 mæ pecuniã esse cõpensandam, (vt do-  
 cet Molina & alij 12.) poterit infama-  
 tus sibi sati facere ex debito pecuniario  
 infamantis, si hic aut non possit, aut  
 nolit aliter satisfacere. Tanner. & alij 3.  
 Cùm autem detraçtio facta est verbis  
 generalibus. v. g. aliquem esse mendacẽ,  
 ambitiosum, &c. nulla est obligatio re-  
 stituendi, nisi fortè ratione dignitatis  
 personæ. Quamuis aliqui (Syluester. &  
 Nauarr.) generatim excusent à restitu-  
 tione omnem detractionem, quæ non  
 est de peccatis mortalibus. Porro ple-  
 beius numquam tenetur famam nobi-  
 lis reparare cum propriæ vitæ periculo,  
 quia vita est ordinis superioris. Malder.  
 & alij 5. Est etiam locus compensatio-  
 ni, quando duo se mutuo infamaue-  
 runt, & iniuriæ sunt æquales, nisi scan-  
 dalum inde oriretur, vel alter vellet fa-  
 mam restituere, tunc enim & hic debe-  
 ret restituere. Malder. & Sylu. *ibi* ref. 30.  
 7 Qui occultum alterius crimen nar-  
 ravit quibusdam, quos fidos putabat,  
 qui deinde aliis rerulerunt, satisfacit in-  
 famato, si se retractet apud suos tan-

L

tùm

tum auditores. Villalob. *ibid.* ref. 34.

8 Qui audit detractorem, nec eum corripit, vel ex timore, vel ex negligentia, vel ex verecundia, peccat tantum venialiter; nisi ex officio ad id teneatur. Tanner. & alij 3 *ibid.* ref. 35.

9 Non est peccatum mortale in confessione reuelare crimen proximi, v.g. complicitis, etsi posset adiri alius confessorius cui is esset ignotus: si enim mortale non est illud dicere vni, vel duobus extra confessionem; multo magis in confessione, cum absit periculum diuulgationis. Caietan. & alij 2 *p. 2. tract. 17. ref. 22.* Tenebitur tamen ad alium Confessarium accedere, si commodè possit. Vasq. & alij 4. Quamuis hoc neget Fagund. *p. 5. tr. 7. ref. 9.*

10 Pœnitens non potest confiteri peccatum, aut circumstantiam manifestatiuam complicitis, etiam si nullum inde damnum sequatur, præter infamiam apud Confessarium: quia præceptum non infamandi fortius est præcepto confessionis integræ. Bannez & alij 16. Contrarium tamen etiam probabiliter docent Suarez & Vasq. & alij 22. *p. 1. tr. 7. ref. 49. & p. 3. tr. 4. ref. 64.*

Dispensatio

*Dispensatio.*

1 Potest Episcopus, inconsulto Summo Pontifice, dispensare cum pauperibus, qui non possunt suis sumptibus Pontificem adire: quia non tenetur Episcopus in impetrandis eiusmodi dispensationibus redditus suos consumere. Sanchez & Salas. p. 1. tr. 10. res. 37.

2 Possit Episcopum dispensare in impedimento dirimenti matrimonium quamvis malâ fide contractum sit, si sequatur periculum, aut scandalum, docet Moscol. & alij. p. 5. tr. 14. res. 18.

3 Potest Prælatus dispensare, quando dubitat, an causa sit iusta quia in dubio inclinandum est in benigniorem partem. Sanchez & Sylvester. quòd si in propriâ lege, vel inferioris, sine iustâ causâ dispenset, peccat venialiter tantum, secluso scandalo, & graui alterius damno. Layman & Tanner. Idem esto iudicium de perente dispensationem. neque in usu dispensationis vllò modo peccat, quia est valida dispensatio. Suarez & alij 2 p. 1. tr. 10. res. 31 & 32.

4 Si Prælatus inferior bonâ hde dispenset, putans causam esse iustam, valida est dispensatio, etiamsi postea con-

stet causam non fuisse sufficientem. Sanch. & alij 2. et si alij contrà sentiant Bonacin. & alij. Item si dispenset, non præcognitâ causâ, quæ reuerâ est sufficiens, & legitima, valebit dispensatio in foro conscientie donec reuocetur, & utens tali dispensatione, ne venialiter quidem peccat. Sanchez & alij 2. *ibid. ref. 33. & 34. & p. 6. tr. 7. ref. 23.*

5 Iusta est causa dispensandi in voto si hoc factum sit in tenerâ ætate, vel interueniente metu, vel tristitiâ aliâ passione, vel cum errore circa causam impulsiuam, etiamsi non esset difficultas in voto exequendo. Sanch. & alij 1. *p. 6. tr. 7. ref. 24.*

6 Illa dispensatio est subreptitia, in qua taceatur aliquid, quod secundum stylum Curie est necessariò declarandum. Sanchez & alij 2. quæuis contrarium doceat Granadus & alij 2. *p. 1. tr. 10. ref. 41.*

7 Si quis voluntariè occidit Sacerdotem, & in petendâ dispensatione ab irregularitate, solùm dicit se occidisse hominem, valida est dispensatio. Sanch. & alij 4. *ibid. ref. 38.*

8 Possè peti dispensationem super vno impedimento matrimonij, tacito altero postea dispensando, probabile est, nec iustè

iustè damnari posset qui id faceret.

Henriq. & alij 7. Est tamen illa opinio contra praxim Romanæ Curix, ex quo infringitur eius probabilitas. *ibi. ref. 39.*

9 Dispensatio inter consanguineos nō est subreptitia, etiam si non fiat mentio de copulâ habitâ inter eos: quia si copula illa fuisset expressa, faciliorem reddidisset dispensationem. Quod verum est, etiam si in rescripto dicatur (*si copula non fuerit*) dummodò ea copula non probetur in foro externo. Pontius & alij 14. *ibid. ref. 44.* Sed iam puto à contraria sententia non recedendum propter stylum Curix, qui in hoc facit ius. Sanchez & alij 9. *p. 4. tr. 4. ref. 135.*

10 Si quis obtinuit dispensationem ad contrahendum cum consanguineâ, sed eâ minimè est usus; postea petens aliam dispensationem cum aliâ cōsanguineâ, non tenetur in secundâ dispensatione mentionem facere prioris. Neque inde sequitur duas illas dispensationes esse simul validas, nam per impetrationem posterioris impetrans renuntiat priori. Sanchez & alij 2. *p. 1. tr. 10. ref. 40.*

11 Valida est dispensatio quamvis erretur in nomine personæ petentis dispensationem (Pontius & alij 2.) vel etiam

iam diœcesis, vt si petens dispensationem dicatur esse diœcesis Mechliniensis, cùm tamen sit Antuerpiensis. Salas & Sanctarell. *ibid. ref. 36.*

12 Valida fuit dispensatio data à Confessario habente potestatem sine vllis tamen verbis, sed solâ mente, cùm putaret tam ipse quàm poenitens, non esse necessarium verbis expressis fieri. Turrian. *p. 4. tr. 4. ref. 118.*

13 In dubio de valore dispensationis præsumenda est valida. Sanctarell. & Riminald. Hinc quando dubitatur, in causa in dispensatione tacita, vel falso expressa, sit finalis, an tantùm impulsiva, præsumendum est esse impulsivam, & non finalem; quia præsumendum in fauorem actus, ne pereat. Sanch. & alij. *ibid. tr. 3. ref. 45. & 64.*

14 Si in rescripto ponatur vnica tantùm causa, hæc censetur finalis, & non motiua tantùm, & propterea si est falsa, vitiat rescriptum. Sanch. & alij. Quòd si plures causæ proponantur quarum neutra per se censeatur sufficiens, vtpote quia ex neutrà seorsim solet concedi dispensatio, tunc si aliqua illarum est falsa, corrumpit dispensatio. At si aliqua illarum ex stylo & consuetudine

tudine sit sufficiens eaq; vera, etiam si altera quæ additur sit falsa, valet dispensatio Suarez & alij 2. *ibid.* tr. 4. ref 53.

15 Dispensatio non extinguitur primâ vice quâ quis eâ vitur: vnde dispensatus in voto castitatis potest sæpiùs matrimonium contrahere. Sanch. & Pont. p. 5. tr. 14. ref 30.

16 Cessante causâ dispensationis non cessat dispensatio: quia per dispensationem extincta est obligatio legis; ergo cessante causâ non potest reuiuiscere. Pontius & alij 4. Ita quo cum dispensatum est ad esum carniû in Quadragessimâ propter infirmitatem, nō peccat si eâ cessante carnibus vescatur. *part. 1. tr. 10. ref. 41. & p. 6. tr. 7 ref. 45.*

17 Vicarius Capituli Sede vacante non potest exequi dispensationes, vel litteras Apostolicas in formâ *dignum* directas Episcopo, ve eius Vicario. Barbof. & alij 4. p. 5. tr. 14. ref. 29.

18 Capitulum sede vacante per electionem Vicarij non amittit suam potestatem iurisdictionis, imò non transfert in eum omnem potestatem, sibi competentem. Vnde Vicarius non potest sine speciali mandato dispensare in casibus in quibus Episcopus dispensat:

L 4

cum

cum nec Vicarius Episcopi id possit.  
Merol. p.6. tr.7. res.41.

19 Dispensatio ex litteris Pœnitentiariæ fieri debet in confessione Sacramentali, vt patet ex clausulâ nunc additâ: *auditâ confessione, non aliter, neque alio modo* (Filliuc. & alij 3.) valeret tamquamuis confessio esset inualida, modo id non oriatur ex defectu integritatis circa rem de quâ petitur dispensatio. Suarez & Filliuc. Ex quo sequitur Confessarium hunc debere esse approbatum ab Ordinario saltem respectu petentiæ dispensationem, nam aliàs non potest eius confessionem audire. Pontius & alij 4 p.4 tr.4. res.71.

20 Cui litteræ istæ delegantur. 1. debet esse Doctor in Theologiâ, vel iure Canonico, nec sufficit si sit in iure ciuili, neque si in aliis Licentiatus tantum, aut Professor Academicus. 2. præmittere debet causæ cognitionem, aliàs dispensatio erit nulla. 3. nō potest opera præscripta omittere, quia apponuntur pro formâ: potest tamen ea moderari: sed debent esse supererogationis. 4. non est de substantiâ dispensationis vt litteræ lacerentur, tantum enim per hoc interdicit Pontifex, vt non possint suffragari in

in foro externo. *ibidem.*

21 Qui ex vi litterarum alicuius dispensationis habet pœnitentiam confitendi singulis mensibus, si aliquo mense omittat, non tenetur id sequenti supplere. Sanch. p. 5. tr. 14. res. 31.

22 In Bullâ Gregorij XIII. de datis & promissis in Curia Rom. pro impetratione gratiæ, vel iustitiæ, sub nomine gratiarum comprehenduntur etiam, absolutiones, indulgentiæ, dispensationes, beneficia, & aliæ gratiæ quæ solo verbo perficiuntur. Nauarr. & alij 3. et si contrariû doceat Lothar. p. 6. tr. 7. r. 14.

Donatio.

1 SI facta est donatio cum damno creditorum, & intra annum creditores non petunt rescissionem illius donationis, donatarius non tenetur ad restitutionem: nisi sciens & prudens impulisset donatorem ad faciendam donationem in fraudem creditorum. Molina & alij 3. p. 3. tr. 5. res. 39.

2 Donationes ad pias causas validæ sunt sine insinuatione, neq; possunt reuocari, etsi ius ciuile illas annullat. Molina & alij 5. Sed contrarium est probabile, quia ex promissione non acce-

L 5

ptatâ,

pratâ, stando in iure naturæ, non oritur obligatio. Sanch. & alij 2. *ibi. ref. 107.*  
 3 Nuntius cuius culpa donatio aliqua non fuit facta ante mortem donantis tenetur ad duplicem restitutionem, donatario scilicet, & heredibus donantis. Molin. & alij 4. Est tamen probabile teneri soli donatario. Sâ & alij 2. *part. 6. tract. 7. ref. 4.*

## Dubium.

1 IN materiâ omnium virtutum, & non solius iustitiæ, locum habet illa regula: *In dubio melior est conditio possidentis.* Suar. & alij 11. *p. 4. tr. 3. ref. 2.*

## Duellum.

1 PROUOCATUS ad duellum si iudicabitur illud omittere non propter legem Dei, vtpote quam in aliis non bene obseruat, sed propter timiditatem, potest ire ad locum conditum animo nõ pugnandi quidem, sed se defendendi si ab altero impetatur. Hurtad. sed communis sententia contraria tenenda. *p. 5. tr. 13. ref. 25. & tr. 14. ref. 99.*

2 Si accusator offerat duellum purgatorium potest innocens illud acceptare ad tuenda bona temporalia; imò potest ipse

Ipse ad illud prouocare, si aliter non potest ea defendere, quia tunc non est duellum, sed iusta defensio. Hurtad. & alij 4 p. 5. tr. 13. ref. 27.

3. Qui moritur ex vulnere in duello infido, si viuus discesserit a loco conflictus, non est priuandus Ecclesiasticâ sepulturâ; quia verba Conc. Trident. cum sint legis pœnalis, ultra rigorem litteræ non sunt extendenda. Sanc. p. 2. tr. 16. ref. 52. & p. 5. tr. 3. ref. 141.

4. Qui in duello lethaliter percussus signa contritionis edit, neque tamen potest confiteri ob defectum Sacerdotis, priuandus est Ecclesiasticâ sepulturâ ex decreto Trident. (Sancius.) etsi quidam contrâ sentiant. (Portel.) Potest tamen pro illo orari etiam in Missa, quia etsi sit excommunicatus, non est tamen nominatim denunciatus. Nauarr. & alij 3. p. 4. tr. 4. ref. 192.

5. Si quis prouocato ad duellum aduersario, sese ad locum condictum prefixo tempore conferat, ibiq; frustra expectato inimico, discedat, non incidit in excomm. Bullæ Gregor. XIII. Item si quis offensus ab alio illum prouocet ad duellum, non tamen habeat animum pugnandi, & sciat certamen ab amicis  
imps.

impediendum ; & hoc faciat ad reparandum honorem læsum, etiam si uterque veniret ad locum designatum, gladios distringerent, &c. neuter incurreret excomm. *Filliuc p. 2. tr. 16 ref. 53.*

6 Si quis inimicum arguat mendacij, si sustinere voluerit quod sibi relatum fuit, etiam si hoc dicendo stringat gladium, non incurrit excomm. quia non est prouocatio ad duellum facta ex cōdicto. Neque qui alium prouocat ad pugnam, nullo statuto tempore, aut loco (*Bonacin.*) Nec qui ad locum duelli accedit inspiciendi causâ, modò duellum secutum non sit. Nec qui duellum spectat obiter, & in transitu, vel ex occulto. (*Sanchez & alij 4.*) Nec qui aliquid narrat quod videt esse posse causam duelli, nisi illud narret, ut ad duellum inciret. (*Bonacin.*) Nec qui legunt scriptum quo aliqui se prouocant ad duellum. (*Cōmitol.*) Nec qui raram habet prouocationem, vel pugnam suo nomine factam. (*Floron.*) Nec qui postquam suasit duellum, conatus est suum consilium reuocare, licet reipsâ securus fuerit. Nec qui ortâ repente rixâ, se prouocant ad pugnandum in aliquo loco, ad quem statim se conferunt, &

ibi dimicant, quia non adest assignatio temporis. Cherubin & alij 6. etsi intercedat aliquod spatium temporis, modo iudicio prudentis adhuc duret calor iracundiæ. Suar. Nec qui alteri dicit pugnabo tecum cum primùm tibi occurrero per urbem; quia nec ibi est assignatio loci, vel tēporis *p. 3. tr. 6. ref. 1. & p. 5. tr. 13. ref. 59. & p. 6. tr. 6. ref. 21.*

7 Excommunicatione latâ à Trident. tenentur non quilibet spectantes, sed soli qui ex condicō sunt spectatores, & testes: quia hi soli duellum sic promouent. Hurtad. Neque qui amico duellaturo subministrat arma, sine quibus nihilominus duellaret. Imò neque acceptantes, vel offerentes duellū si pugna de facto non sequatur. Hurtad. sed an posterius hoc probabile sit, alij iudicēt. *p. 5. tr. 14. ref. 100. 101. & 102.*

8 Ab hac excomm. posse absoluere Regulares per sua priuilegia docet Hurtad. quod saltem in Italiâ locum non habet. potest tamen quis absolui per Bullam Cruciatæ. Sanch. & Hurtadus. *ibid. ref. 103.*

9 Potest Princeps ad maiora mala vitanda, in casu extraordinario, duellum permittere. Sanchez & alij 9. *part. 3. tract. 5.*

*tract. 6. ref. 1. & part. 6. tract. 6. ref. 20.*

10 Quod attinet ad scripta prouocantia ad duellum, possunt famuli ea scribere, si alioquin ipsis immineret periculum mortis, aut alterius grauis damni. In nullo autem casu licet ea scripta deferre: quia id est intrinsecè malum, quamuis opposita sententia nō sit improbabilis. Merolla p. 3. tr. 6. ref. 1.

E

## EBRIETAS.

1 **Q**uando quis magnū malum V.G. prodicionem ciuitatis, vel non recuperationem eius à legitimo Principe, non posset impedire, nisi quosdam inebriando, probabile est id licere. Less. Idem est vt quis se eripiat è manibus latronum. Less. & alij 2. p. 6. tr. 7. ref. 4.

2 Quando ad euitandam mortem siue ex morbo, siue ex malitiâ alterius, necessarium est tantum bibere vnde inebrieris, licitè id facies. Less. & alij 1. *ibid.* ref. 44.

*Ecclesia.*

1 **R**epræsentationes, siue actiones sacrae possunt in Ecclesiis fieri. Angelus. p. 4. tr. 4. ref. 184.

2 Not